

Universitätsbibliothek Paderborn

Mater Amoris Et Doloris

Ginther, Anton

Augustæe Vindelicorum, 1711

VD18 15312348

Consideratio VII. Consideratur puritas Dolorosæ Virginis, primæ inter omnes votum Virginitatis Deo Emittentis. Emblema. Candidissimum Lilium in areola horti exurgens cum lemmate: Virginei laus prima ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47286](#)



CONSIDERATIO VII.

Consideratur puritas Dolorosæ Virginis, primæ inter omnes votum Virginitatis DEO emittentis.



Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognoscō? Luca 1. 34.

I. **N** qao pretio in veteri quondam Testamento virginitas fuerit, abundè patet ex Seila Filia Jephte, quæ, cùm ex patre intellexisset, se ex voto ejus ob reportatam contra Ammonitas victoriam DEO T. O. M. in victimam esse destinatam, voluntati quidem parentis non contradixit, sed ultro sese ob amorem patriæ morti & immolationi obtulit, verū virginitatem suam, & ætatem virginalē nunc nuptijs opportunam duobus mensibus in montibus amaris deflevit lacrymis: *Di. Judic. xi. 37.*

Mater Dolorosa.

H

mitte

mitte me, ut duobus mensibus circummeam montes, & plangam virginitatem meam cum Sodalibus meis, erat enim illo carnali ævo valde triste, ac dedecorosum sine prole vivere, sine hærede mori, hiac steriles maledictæ dicebantur.

His non obstantibus B. Virgo inter mortales omnes prima votum virginitatis Supremo Numinis emitit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quibus verbis juxta mentem SS. Patrum castitatem Angelico Nuntio prætulit, & maluit esse Virgo, quām Mater Christi præcisè cum jactura castitatis, proinde utrumque de congruo meruit, ut Virgo perpetua permanerer, & simul Mater S. Ambr. lib. DEI fieret: *MARIA*, inquit S. Ambrosius, *signum sacre virginitatis, extulit, & intemeratis virginibus pium Christi vexillum levavit.* Vide R. P. Hier. Drex. Opusc. 13. apud me fol. 219r. Imò quod plus est, juxta mentem illuminatissimorum Theologorum, *Sacratissima Virgo, quia usum rationis ad spiritualia jam à primo immaculatae Conceptionis suæ instanti habuit, jam in utero materno voto explicito & absoluto DEO virginitatem suam confecravit;* rationem assignant docti Théologi, quia SS. Deipara jam tunc Majestatem Divinam & immensam DEI pulchritudinem, tanquam Enī purissimi contemplata erat, unde summoperè in ejus amore exarsit, eūmque sibi in unicum & castissimum Sponsum, *qui pascitur inter lilia, castisque oblectatur virginibus, elegit.*

Isa. 7. 14. Cantic. 7. 2. Cornel. hic. Psal. 44. 16. Hic verificatum fuit illud Isaiae Prophetæ: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* O quām benè de hac purissima Virgine & Sponsa sua Divinus ille Sponsus: *Venter tuus sicut acervus tritici, val- latus est lilijs;* supra quod Cornelius: *Venter B. Virginis sicut acervus tritici, id est Christi, qui cibus & panis est Christianorum, vallatus li- lijs, id est virginibus, quarum antelignana & princeps exitit B. Vir-* go MARIA: *Adducentur Regi virgines post eam;* cui Virginea Ma- tri, candoris sui integritate omnes creaturas, imò & Angelos lon- gissime superanti, pro Symbolo *candidissimum lily statuimus cum lemmate:*

Virginea laus prima pudoris.

Sicut enim lily flores superreditur omnes, sic B. Virgo, ait S. Epiphanius, est lily immaculatum, sublimior Angelis facta est, lib. de laud. superior ipsis Cherubim & Seraphim, placens Christo Regi, à Deo in honore habita tanquam ancilla digna & Mater sancta, immaculata, solo DEO excepto, cunctis superior existit.

2. De

2. De Noë Patriarcha re-ensent sacræ litteræ , quod cessante universali diluvio , & arcâ super montes Armeniae requiescente , ut tempestatem exploraret , corvum & columbam dimiserit ; corvus , quia sufficientem fibi escam in submersorum , tum hominum , tum pecorum cadaveribus invenit , benefactoris sui , tanquam ingratus hospes oblitus , non amplius in arcam reversus est , sed columba , cùm non invenisset , ubi requiesceret pes ejus , reversa est ad eum in arcam , extenditque manum , & apprehensam intulit in arcam . Res mira , quod ista columba non potuerit in orbe reperire locum , ubi requiesceret pes ejus , & tamen corvus invenit sibi locum , ubi habitaret , & cibum , quo se reficeret ? Observat hic S. Vincentius *S. Vinc Ferr.* Ferreius , quod per dictam columbam Spiritus Sanctus debeat sub *Serm. in V-* audiri , qui in veteri Lege , & in carnalibus illis saeculis nullam sibi *g. Pentec.* & VERBO incarnando dignam habitationem potuit invenire , neque voluit hæc candidissima columba cum immundo corvo in cœno , luto & foetore immundorum humanorum cordium sibi requiem fieri ; quapropter justus ille Noëmus , hoc est , Pater Æternus de novo circa vesperam mundi eandem pacificam amandavit columbam , quæ , consideratis omnium purarum creaturarum cordibus , solum in purissimo Corde B. V. MARIAE primam sibi sedem , & VERBO incarnando optatam requiem invenit , ex quo SS. & Virginico Corde , velut ex oliva speciosa virescentem illum ramuscum , hoc est , Christum , qui ab oliva nomen sortitur , mundo naufragio in signum reconciliationis in manus paternas deportavit : *Ve-* *Gen. 8. 11.* *nit ad eum ad vesperam , portans ramum oliva vixentibus folijs.*

Considera ex hoc anima Christiana , quā mundum fuerit , & quā purum , atque ab omni peccati labo alienum Sacratissimum COR MARIAE : *Si celi non sunt mundi in conspectu ejus ; quā n. u. Job. 25. 15.* dum igitur oportuit fuisse illud COR Virginum , quod ipsum DEUM ad se de cœlo attraxit , qui est candor lucis æterna ? Et si *Sap. 7. 26.* olim arca illa Testamenti , in qua manna cum virga Aaronica assertabatur , non solum aurea per circuitum coronata redimita , sed & extrinsecus atque intrinsecus purissimo auro vestita , & ornata fuit : *Et deaurabis eam anno mundissimo intus & foris &c.* Quantò magis *Exod. 25. 12.* Sacratissimum COR Virginis ac Matris DEI , velut arca animata , in qua requiesceret ipse DEUS , ab omni sorde debuit fuisse alienum ? Ah quoties intrat ad nos in Divinissimo Epulo ipse DEI Fi-

*Ilius, & cor nostrum adhuc tam tepidum, tam languidum, tam dum-
rum, ne dicam, tam immundum est? Præparate corda vestra Do-
mino, &c.*

*3. Considerâsti aliquando prudens Lector, illa notatu dignis-
sima verba, quæ Christus pientissimus Redemptor tuus, nunc de
Virgineo Matris suæ utero progrediverat, ad Patrem locutus est, ac
tunc demum, cùm in ligno crucis in manus ejusdem Patris Spir-
itum commendaret, de novo repetit: Quoniam tu es, inquietabat,
qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus Matris meæ. Quid
dicas ô mi JESU: Qui extraxisti me de ventre? Tertullianus anti-
quissimus legit: Avulsisti me de ventre? & cur, obsecro: Avulsisti?
adverte, quod ab aliqua re vi avellitur, fortiter ei adhærere debet;
sed Christus à ventre Matris vi avulsus est, ergo fortiter ei adhæ-
sit; ergo etiam, repones, invitus in lucem natus est?*

*Psal. 18. 6. Absit hoc à Divinissimo CORDE JESU, cùm jam tunc Chri-
stus in utero Matris existens, amore hominum incitatus, velut
gigas acceleravit ad currēdam viam redēptionis nostræ; sed Scrip-
tura per hoc ostendit, quantum Christus sibi complacuerit adhuc
diutius in purissimo Matris suæ utero, imò & in Corde ejus com-
3. Reg. 10. 28. morari, in quo velut pacificus Salomon in suo eburneo throno,
Cant. 1. 16. velut Sponsus in florido suo lectulo, velut Sol justitiae in placido
Virginis signo, velut vermiculus tenerimus in suo calathisco, &
velut gemma pretiosissima in sua concha optatissimam sibi sedem
elegit. Hinc cùm de cruce pro omnium salute passus ac mortuus
deponeretur, de novo in eodem sinu & pectore materno requiesce-
re voluit, & quemadmodum ejusmodi sepulchrum elegit, in quo
nondum quisquam positus fuerat, ita prius cùm incarnaretur, ejus-
modi cor & uterum elegit, in quo, prout observat Simon de Cassia,
nondum quisquam positus fuerat, neque ponendus erat.*

*Jo. 19. 42. Perpende ex his anime mi, quantum D E O placeat cor mun-
dum & castum, atque ab omni mundana & carnali sorde alienum:
Eccl. 26. 20. Non enim, prout loquitur Ecclesiasticus, est digna ponderatio con-
tinentis animæ; & Doct̄or mellifluus: Different quidem inter se homo
Ep. 42 Sym- pudicus & Angelus, sed felicitate non virtute, et si enim hujus castitas
bela varia Virginita- felicior, illius tamen fortior cognoscitur. Ejusmodi Cor purum & ca-
tis.
Exod. 35. 2. rum tamen florum fragrantiam multum superans. Thymiana est,
DEO*

DEO, Angelis & hominibus ob suavissimum bonæ famæ & virtutis odorem acceptissimum. Phœnix est, dum dulcem nidum dilecto suo Sponso & Evcharistico & Crucifixo ex lignis cinnamonij fragrantissimis parat, eique soli sese in dignam victimam offert: aquila est, Jovis armiger ales, quæ duabus alis orationis & mortificationis sublimi volatu supra nubes evolat, & in altissimis, hoc est, in Divinissimo CORDE JESU ponit nidum suum, ubi suaviter, ceu Job. 39. 29.
Cant. 2. 14.

O beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt! Matth. 5. 8.

4. A novo ad vetus testamentum transitum faciamus. Olim Maria, soror Moysis nobilis Domina ac Virgo inter omnes Hebræas Virgines chorus ducebat, cùm Pharao cum exercitu suo in profundo maris, & in cœno impuritatis absorptus interiit, quæ tympanum pulsans, hilariter cantavit: *Cantemus Domino gloriose.* Exod. 15. 21.

Verum enimvero longè eminentiori modo in nova gratiæ lege inter omnes Virgines chorus dicit intemerata ac gloriofissima Virgo MARIA. O quot millenæ, ac millenæ Virgines, cognitâ hujus mundi immundi vanitate, etiamnum in religiosis parthenonis latebris se abdunt, viventesque mortuæ sunt, ut in SS. CORDE JESU æternum vivant; quarum tu ô beatissima! omnium Dux & Magistra fuisti, vivumque speculum, quod Sacerdotes, Religiosi ac Sanctimoniales omnes, imò & sœculares pro ratione statûs sibi ob oculos ponant, ac imitentur pro viribus: *Sit vobis*, sunt verba S. Ambr. de Virg. lib. 2. *Virgo* & *Mater!* *Mater* & *Virgo*, ita te appellare solebat S. Philippus Neri; & quid dico? Tu es illud *vas electionis*, non tantum cum Apostolo SS. Nomen JESU portans coram gentibus, sed ipsum quoque vitæ authorem in te continens. Tu es aula illa magnifica, ac splendidissimum Imperatoris æterni palatum, in quo D E O complacuit habitare cum hominibus. Tu es illa civitas DEI, cuius decorem, cùm in spiritu prævidisset vates ille Regius, admirabundus

5. Et quid dico ulterius de te ô innocentissima Domina? Act. 9. 25.
Virgo & *Mater!* *Mater* & *Virgo*, ita te appellare solebat S. Philippus Neri; & quid dico? Tu es illud *vas electionis*, non tantum cum Apostolo SS. Nomen JESU portans coram gentibus, sed ipsum quoque vitæ authorem in te continens. Tu es aula illa magnifica, ac splendidissimum Imperatoris æterni palatum, in quo D E O complacuit habitare cum hominibus. Tu es illa civitas DEI, cuius decorem, cùm in spiritu prævidisset vates ille Regius, admirabundus

Psal. 26. 2. bundus exclamavit: *Gloriosa dicta sunt de te civitas D E I.* Tu es
Io. 4. 14. fons ille Jacob, & puteus altissimus, ad quem mulier Samaritana, hoc est, anima peccatrix aquam vivam & salientem in vitam
Apoc. 4. 3. æternam cum gudio haurire solet. Tu es iris illa in circuitu
Joan. 9. 7. throni, mitigans iram D E I in throno judiciali sedentis. Tu es
Natatoria illa Siloë, ad quam à Christo cæcus ille natus missus est,
ut lumen oculorum reciperet. Tu denique ô Sacratissima & inter-
merata Virgo mare es inexhaustum, omniūque gratiarum Ocea-
nus, cui fecit Dominus magna, qui potens est, quia sunt inexpli-
S. Bernh. me. cabilia illa dona ac bona, quæ tibi contulit SS. Trinitas: *O raptrix*
dir. sup SAL *cordium, exclamat mellifluus Bernhardus, quando mihi restitus cor-*
re Reg. *menn? O purissima Virgo, quis satis laudet te?*

Pulchra erat illa Elther, Aßuero potentissimo Persarum Regi
Ester. 2. 15. in Sponsam præsentara, de qua Scriptura commemorat: *Erat Ester*
formosa valde, & incredibili pulchritudine omniūque oculis grata;
& amabilis videbatur. Pulchra Rebecca Bathuelis filia, de qua sa-
Gen. 24. 16. cræ litteræ: *Puella decora nimis, virgóque pulcherrima & incognita*
Judith. 10. 7. *viro.* Pulchra Juditha, quam cum vidissent Alsyrij, stupentes mi-
rati sunt nimis pulchritudinem ejus. Pulchra Sara, ad quam Abraham
Gen. 12. 11. maritus: *Novi, quod pulchra sis mulier, & quod cùm viderint te*
Ægyptij, dicuntur sunt: Uxor ipsius est: & interficiant me, & te reser-
vabunt; dic ergo, obsecro, quod soror mea sis, ut bene sit mihi pro-
pter te, & vivat anima mea ob gratiam tui. Pulchrae filiæ Job:
Job. 42. 15. *Non sunt inventæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Job in universa terra.*
Sed tu ô beatissima Virgo propter innocentiam & humilitatem Cor-
dis tui supergressa es universas; viderunt te filiæ Sion, & beatissi-
mam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt te; proinde merito à
Cant. 1. 24. *Spiritu Sancto in sacro epithalamio bis pulchra appellata es: Ecce*
tu pulchra es anima mea; ecce tu pulchra es. Pulchra subintrat hic
S. Bernh. cit. S. Bernhardus, propter summam innocentiam, & pulchra propter
à Cornel. hic. summam humilitatem, & ideo concupivit Rex decorum tuum,
quia humilitatem innocentiae & virginitati sociasti.

O castæ, ô continentæ animæ! ô Virgines D E O sacrate!
nunc ad vos cum S. Cypriano Episcopo & Martyre mihi sermo est:
S. Cyprian. Verum est: *Flos estis vos Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum*
de discipline *gratiae spiritualis, leta indoles, laetis & honoris opus integrum atque*
& habitu *incorruptum, DEI imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior*
virginum. *portio gregis Christi, &c.* Sed advertite, quod Divus Chrysostomus
pruden-

prudentissimè monet : *Virgo à bello nunquam cessare potest*, semper hinc pugnandum, semper contra sensuales appetitus luctandum erit : *Virginitatis custos*, ait idem Os Aureum, fuga & successio; addamus nos: Oratio fervens & jejunium, fortitudo animi, Christi Crucifixi contemplatio, labor, & quinque sensuum assidua mortificatio: *Qui sunt Christi*, ait Apostolus, *carnem suam crucifixerunt Gal. 5. 24. cum vitijs & concupiscentijs*. Audis hoc?

6. De Romanis potentissimis illis terrarum domitoribus recensent varij Scriptores, quod pro mensura meritorum athletis ac victoribus suis diversas distribuerint coronas. Illos, qui cum hoste imperij in campo generosè decertabant, coronam castrorum donarunt; qui primi in assaltu murum concedebant, coronam murali; qui cives conservabant, coronam civicam; qui classem hostilem in mari debellabant, coronam navalim; & qui denique inimicum exercitum usque ad interacionem delebant, coronam triumphali & auream insigniebant.

Hunc modum, ut ita dicam, observat DEUS, Regum Dominus, & justus Judex cum Christianis ac fidelibus, dum pro qualitate meritorum illis diversas decernit, ac distribuit coronas, autem quidem omnibus, tanquam praemium essentialie juxta illud: *Coronam auream supra mitram ejus, expressam signo sanctitatis, gloriam & honoris, & opus fortitudinis*; aureolam autem (quod est singulariter praemium accidentale) tantum privilegiatis quibusdam personis, quae peculiari virtute eam in vivis meruere, in cœlesti gloria reservat; tales sunt invictissimi Martyres, qui ob arduam & cruentam pugnam, pro fide & Christo dimicata, singulari aureola potiuntur; Sancti vero Ecclesiae Doctores & Prædicatores, quia docuerunt, & sic fecerunt, patrem aureolam assequuntur; & quia sacræ Virgines in quotidiano & periculo corporis & animæ duello carnem suam per assiduam mortificationem & gratiam Divinam assistentem, edomârunt, ideo terriæ & æquè pretiosam à Christo Sponso donantur aureola, Agnumque sequuntur, quocunque jerit: *O quam pulchra est ergo casta generatio cum claritate: immortalis est Sap. 4. 2. enim memoria ejus, quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.*

Eja agire animæ Christianæ! adhortor vos omnes in Christo JESU, ut hanc gratiam, & salutarem doctrinam non in vacuum recipiatis; attendite & considerate, quod Christus ipse Virgo non nisi à Virgine nasci, & à simili Patre Nutrio sustentari voluerit:

EB

Luc. 2. 51. Et erat subditus illis, atque in cruce tandem moriens, tanquam passus etiam tunc inter lilia, hoc est Dolorosam Matrem inter & Joannem, nobilissimam animam expirarit. Et si illi, qui in hoc saeculo castè vivunt, juxta veritatis oraculum, similes sunt Angelis DEI in cœlo; quis, obsecro, non omnibus allaboret viribus, ut ad hanc immarcessibilem coronam & gloriam possit pervenire? Eliam zelosissimum Prophetarum vita casta in cornu igneo ad paradisum transfig. Reg. 2. 11. vexit: Ascendit Elias per turbiuem in cœlum. Elisæum discipulum ejus, Reg. 6. 17. quia castè vixit, integer Angelorum exercitus defendit: Ecce mons plenus equorum, & currum igneorum in circuitu Elisei. Tres pueros Hebreorum in fornace Babylonica in medio ignis illæsos conservavit vita continens: Non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestia intulit. S. Clara, quia Virgo permanuit, Assisum ab arctissima Saracenorum obsidione liberavit. S. Agnes Virgo in medio ignis illæsa perficit. S. Lucia Virgini morienti Angeli accinebant: O sponsa Christi, o columna immobilis veni, omnes cœlicole adventum tuum prestatantur, ut à JESU Christo coronam glorie accipias. Si vis anime mi similem coronam, certa similem pugnam.

Brev. Rom.

12. Aug.

Idem. 21.

Jan.

Idem. 13.

Decemb.



CON-